



**Robert Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

Turner, Robert

Coloniae Agrippinae, 1625

5. Ad serenissimum Principem Bauariæ Guilielmum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](#)

ROBERTI TURNERI
ORATIO V. AD SERENISSIMUM
Principem Bauariæ Wilhelmum,
Ingolstadij.

OMnis res, Serenissime Princeps, quæ habet vel commendationem ab arte, vel dignitatem à natura, crescit splendetq; magis loci maiestate. Videtur Sol pulchrior, quod in cœlo; gemma pretiosior, quod in auro; oculus nitidior, quod in capite; religio præstantior, quod in Principe, tanquam solio resideat. *Pulchrior*
Religio, Serenissime, in aliis si niteat, nitet sua vi; at in *in suo sub*
Principe accipit à persona splendorem, à loco altitudi- *iecto appa*
nem. Vnde nihil mirum, si tuæ religionis vis, illa sit, *ret res,*
quæ possit nec obrui tenebris, quia splendida: nec *quæ extre*
coerceri angustiis, quia alta. Non satis fuit tuæ virtuti
& religioni, sparsisse per Bauarium semina virtutis &
religionis: tua virtus summa est, debet spargi: tua reli-
gio vehemens est, vult manare ad alios, & quadam na-
turæ tuæ bonitate ad nos vult manare, ita vndique vel
dissimiles loco, vel pressos angustiis, vt nec meriti si-
mus tantum, nec possimus mereri de tanto. Quo mi-
nus aut meremur, aut mereri possumus, co diuinior
tua religionis vis, quæ ex alpium latebris remotis illis
quidem & reconditis eruis Benedictos, Bernardos,
Siluestros, quibus benefacias: nec curas quibus, sed
quid agas. De hoc beneficio nec ago gratias, ne infi-
nite; nec laudo, ne inepte; nec hortor, ne stulte videar
dixisse, & præter normam. Tantum profiteor meo
aliorumq; qui in hoc Collegio sub tua vel ala, vel nu-
tu student, Religiosorum nomine hanc hodiernam
vestram humanitatem de nobis visendis, tanquam
virtutem non natam inter homines, sed è cœlo la-
psam, à Deoq; quasi decerptam, silentio veneraturos;

tan-

tantumne? etiam Deum, in cuius manu est via & vita
Principum, rogabimus serio, perpetuo, suppliciter, de
 beneficiis in nos collatis, has vestes nostras, has patien-
 tias, hos pileos, denique reliqua omnia nostra orna-
 menta intexat quasi gemmas illi coronae, quam tibi in
 cælo imponet, de exemplo splendidam, de pietate au-
 ream, de religione summam. *Dixi.*

R O B E R T I T V R N E R I
O R A T I O VI. N O M I N E S B R E N I S-
simi Principis Guilielmi Comitis Palatini
Rheni, vtriusque Bauariæ Ducis, &c. habita
ad reuerendos, generosos, ac honorati-
fimos Ecclesiæ Leodiensis
Dominos.

A Mor (R.G.DD.) siue qui factus à Poëtis agitat
 furore, siue qui delibatus è cælo afflat spiritu
 solet, quicquid agit, aut infra rem agere, aut su-
 pra opinionem: nihil agnoscit moderati, nihil certi-
 omnia turbat, omnia miscet: in una tantum re habe-
 legem, quod nulla lege aut potest aut vult deuinciri:
 monstrum videor loqui, sed monstrum non est, amor
 est, quicquid loquor: atque ut id, quod dico, videatis
 conspirare cum veritate maxime, cogitate nihil esse
 Vero a- sanctius, nihil diuinius illo amore, qui grato animo
 more ni- proficiscitur, & tamen hic gratia animi amor, ita alget,
 bil san ardet, ita stupet, acuitur, ita currit, subsistit, ita vacillat,
 gium, &c hæret, quo videatur sincerius, ut qui re non fuerit gra-
 tus, is nunquam aut difficulter sane collegerit ex tam
 dissidenti notione verum amoris sensum, quæ animi
 motio si quem unquam affecerit, afficit maxime Sere-
 nissimum Principem Dominum Gulielmum Comi-
 gem Palatinum Rheni, vtriusque Bauariæ Ducem, Do-
 minum